Ossa Ducis patrio tristissima Misna sepulchro
Texit & ad veteres contumulavit Avos.

ZEDENA, FIL. GEORG. PODEBRADI. REG. Bohem. &c. 7. Adavia paterna.

Huic Podebradii pulcherrima nata Boëmi
Fœcundo fuerat consociata thoro.
Hac est Barbatus de matre Georgius ortus
Saxo qui Frisios depopulavit agros.
Heinricusq. Pius magnam qui condidit urbem,
Qua dives mons est virgo Maria tuus.
Et qui Leucorei tot pulpita clara Lycæi
Struxit ad Albiacas Dux Fridericus aquas.

Octavus Adavus & Adavia paterna

Illustrissimi Princ. & Domini,

Dn. IOANN. FRIDERICI SPONSI: & Dominor. Fratr. Ducum Würt. C. M.

CASIMIRUS Magnus Dux Lithuaniæ, fratre Uladislao in bello ad Varnam amisso, Rex Poloniæ est inunctus An. Dom. 1447. Incredibili virtute regnum contra potentiss. hostes defendit: Contra Matthiam Ungar. Regem in Silesia bellum gessit; Stephano Valachiæ Palatino, ad Turcas profligandos adjumento fuit; Prussiam perdomuit, cruciferis supplicibus tandem pacem dedit: Vicissim autem per defectionem ad Moschos amisit dominatum Severiens. & domesticos motus sensit à filio primogenito Uladislao, ob acceptam Hungariam. Lenta febri consumptus, inter vivos esse desiit, Anno 1492. Sepult. Cracoviæ.

Uxor ELISABETHA Filia ALBERTI Archiduc. Austr. qui post obitum Soceri Cæsaris Sigismundi, Rex Ungar. & Bohem. & tandem Imperat. Roman. est designatus. Hunc patrem